QUÆSTIONES ANNO 1892

COLLATIONIBUS THEOLOGICIS DISCUTIENDÆ IN ARCHIDIŒCESI QUEBECENSI (*a*)

MENSE JANUARIO.

(*Legatur post lectionem præcedentis collationis articulus* Conférences ecclésiastiques *in Disciplina*, pag. 38...)

Caius, agricultor locuples, plures habet operarios qui ad agrum suum colendum operam præbeant, quibuscumque sæpius ipse collaborat. Diebus tamen jejunii de præcepto, v. g. tempore adventus et quadragesimæ, operibus imprimis arduis cum operariis vacat et multum insistit ea intentione, ut exinde defatigatus, fiat impotens ad jejunium.

Præterea, idem Caius, quadam die jejunium omisit ad sumendum medicinam a medico sibi præscriptam, cujus sumptio cum jejunio componi non poterat, quanquam facile potionem medicam ad aliam diem differre potuisset.

Tandem quum filius illius in morbum gravem incidisset, ad auxilium supernum exorandum, piam peregrinationem ad sanctuarium Beatæ Annæ de Beaupré, die jejunii, pedester suscepit. Exinde, viribus fractus, a jejunio abstinuit.

Tempore recessus spiritualis in parochia habiti, hæc omnia secum revolvens anxius evasit, et statim confessarium adiens ab eo quærit :

1° *An causæ supradictæ fuerint sufficientes ad excusandum a jejunio ?*

2° *An potuerit easdem voluntarie ponere ?*

(*a*) C'est une obligation d'assister aux conférences, quand on n'en est pas exempté par une raison suffisante. Il faut s'y préparer avec soin. Les absents doivent envoyer au Président les raisons de leur absence. Le Président est le Curé le plus ancien par l'ordination. Le Secrétaire est choisi par les membres de la conférence.

Agitur de oleo quocum nutritur lampas coram SSmo Sacramento. Juxta decretum S. R. C. die 14 julii 1864 « *generaliter utendum est oleo olivarum; ubi vero haberi nequeat, remittendum prudentiæ Episcoporum, ut lampades nutriantur ex aliis oleis, quantum fieri potest vegetalibus.* »

Attento hujusce decreti tenore, quæritur :

1° *An parochus possit, absque licentia speciali aut generali Ordinarii, lampadem coram SSmo Sacramento nutrire ex oleo vegetali quocumque, præter oleum olivarum ?*

2° *An possit uti licite oleo vegetali ad lampadem nutriendum, vi tantum consuetudinis fere universalis ?*

3° *An saltem censeatur parochus excusari a licentia Ordinarii obtinenda tanquam inutili, si redditus suæ ecclesiæ impares omnino sint ad oleum olivarum comparandum ?*

4° *An fabricæ quarum redditus ita pingues sint ut commode lampadem SSmi Sacramenti oleo olivarum nutrire possent, excusentur ea præcise ratione quod in regione nostra « oleum olivarum haberi nequeat. »*

5° *An veniat* petroleum *sub nomine olei vegetalis ?*

MENSE MAIO.

Sempronius, sacerdos, de fide prædicans, obiter asserait fidem supernaturalem, informem et partialem, inveniri in hæreticis etiam formalibus. Quod quum alteri sacerdoti audienti minus probabile esse videretur, ambo theologum adierunt, ab eo quærentes :

1° *Quænam sunt principia essentialia virtutis fidei supernaturalis ?*

2° *An prædicta fides in ipsis hæreticis etiam formalibus inveniri possit ?*

3° *Si talem fidem isti non habeant, quomodo veritates quasdam revelatas pro certo tenere possunt ?*

Titius parochus missam cantatam *de requie* anniversariam assignat pro die festi duplicis majoris. Paulus vero, parochus

vicinus, hoc anniversarium in pulpito nuntiare parochiano petenti recusat, ea præsertim ratione ductus quia ea die missa *de requie* etiam anniversaria cantari non potest.

Unde quæritur :

1° *Utrum parochus Titius parochianis suis missam de qua supra pro die festi duplicis majoris juxta rubricas nuntiare possit ?*

2° *An Paulus parochus prudenter sese gesserit denunciationem missæ cantandæ in parochia vicina omittendo ?*

MENSE JULIO.

Petrus summam quingenta scutorum vicino Paulo, absque usura, benigne commodat ut ex ea agrum acquirere valeat. Interim fit ut, ad Petri preces, Paulus eidem equum fere ejusdem valoris in precarium præbeat. Paulo post, Paulus ab urbe regrediens, in flumen decidit et submergitur.

Petrus, creditor quingenta scutorum, ab uxore defuncti certo cognovit patrimonium Pauli par non esse ad satisfaciendum pluribus aliis creditoribus hypothecariis quorum credita suo potiora et anteriora erant. Quid agendum Petro, ne summa sibi tam necessaria ab aliis creditoribus defraudetur ?

Recordatur se quadam die audivisse amicum sacerdotem disserentem de occulta compensatione uti licita datis quibusdam conditionibus. Patet igitur se in præsentibus occulta compensatione licite uti posse. Ad quam tamen faciendam ut tutius procedat, falsat syngraphan equi recepti pro quingenta scutis.

Patrimonium adeo exiguum repertum fuit ut plures creditores anteriores vix aliquid receperint.

Paucis annis vix elapsis, Petrus conscientiæ stimulis exagitatus, adit amicum theologum, rem totam aperit et ab eo quærit :

1° *Quænam conditiones requiruntur ut compensatio occulta juste et licite fiat ?*

2° *Utrum in casu fas sibi fuerit uti occulta compensatione ?*

Titius vicarius, ipsius parocho incassum reclamante : 1° Ministrat SS. Eucharistiam extra missam, uno tantum cereo

accenso ad altare distributionis.—2° Quando celebraturus accedit ad altare, calicem portans super quem bursam manu dextra tenet, tabernaculi clavem deferre super bursam omnino recusat, non obstante jussu formali parochi, cui in hoc puncto renuit parere.—3° Missale, in hac ecclesia, a sacrista ante missam super altare deponitur. Vicarius hanc consuetudinem a longo tempore inductam damnat, et jubet missale sibi præsentari in sacristia ante missam ut inibi omnia perquirat, signacula ordinet.

Quid dicendum de hac parochi et vicarii agendi ratione ?

MENSE OCTOBRI

(Fit electio secretarii per scrutinium.)

Quæritur :

1° *Quænam sunt conditiones requisitæ ad hoc ut aliqua veritas sit formaliter de fide ?*

2° *Quænam sunt diversæ censuræ theologicæ quibus aliqua propositio notari potest ?*

3° *An tuta conscientia sustineri possit quæcumque sententia philosophica aut theologica quæ non sit formaliter ab Ecclesia definita ?*

In semiduplicibus, aliquando, in parochiis præsertim civitatum, occurrentibus exequiis solemnibus, præter missam *de requie* cantatam, aliqui sacerdotes intra eamdem super diversis ejusdem ecclesiæ altaribus missas *de requie* privatas celebrant pro eodem defuncto.

Quænam missa dicenda sit ? An ea quæ inscribitur in missali pro die obitus cum unica oratione et Dies iræ, *vel missa quotidiana pro defuncto ?*